



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Ferdinandvm Fvrstenbergivm, ... Alexandri VII. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

AD
 FERDINANDVM
 FVRSTENBERGIVM,
 de Burda medico.

Quod, Fernande, suo vulgari nomine versus
 Sarbieui, Burdam mitte redarguere.

*Nam soleat cum passim homines impune necare,
 Furari nullum credidit esse nefas.*

Ineunte anno quinto Pontificatus

ALEXANDRI VII.
 PONT. MAX.

Lux redijt, lecto terrarum Preside, felix:
 Lux itidem Christi funere tristis adest.

*Altera Pierios plausus amat, altera luctum:
 Vnde haeret tacitâ Calliopeia lyrâ.*

*At nos suppliciter lucem veneremur utramque.
 Attulit afflictis utraque rebus opem.*

AD

A D
 FERDINANDVM
 FVRSTENBERGIVM,
 NEAPOLIM ITVRVM.

Ergò agè felici discedas alite, quando
 Ire apparas Neapolim,
 Dulcis ubi eternùm spirat clementia veris,
 Letumq; crispantes mare
 Floribus illudunt varijs Zephyritides auræ,
 Coluntq; citrium nemus.
 Multa quidem tibi Parthenope miranda sub ipso
 Monstrabit urbis limine,
 Eductas celo moles, atque aurea tecta,
 Et signa Phidiacæ manus.
 Sed tibi, quo tegitur tumulo, sit cura videndi,
 Maronis inclytus cinis,
 Quem memorant (credi si digna est fama) furorem
 Afflare sacrum vatibus:
 Quare ibi posthabito castas Helicone sorores
 Fixisse mansuram domum.
 Illa te excipient venientem, ac fronte benignâ
 Sic alloquentes audies;

G S

O nostris

AD

O nostris addicte sacris, generosa propago,
 Tuæq; flos Germania,
 Latus ades, nostrosq; velis lustrare recessus,
 Vatum feraces grandium,
 Seu Surrentinos amor est inuisere colles
 Dulci virentes pampino;
 Seu magis arridet pulcherrima Mergilline,
 Dilecta Syncero domus;
 Seu iuga Pausilypi pelago pratenta sereno,
 Quæ cærule Nereides
 Sæpè leues ducunt choreas Tritona sequentes
 Curuâ sonantem buccinâ;
 Seu iuuat irati tonitrus audire Vesui
 Lateq; nigrantes globos,
 Sparsaq; per campos ambusti viscera montis
 Candente mersos sulphure.
 Sed tibi scrutandi veniat ne dira cupido,
 Quæ causa venis abdita,
 Pabula inexhaustis tot iam per sæcula flammis
 Tellure ab imâ suggerat.
 Te miseri subeat fatum crudele Secundi
 Vndante fumo hîc obruti;
 Namque Deus, rerumq; vices, venturaq; fata
 Latere mortales iubet.

A D

FERDINANDVM
FVRSTENBERGIVM.

De nocturno bubonis cantu
in Albano secessu.

Quod carmen ferale canit sub nocte silenti,
Tristibus & bubo perstrepat augurijs :
Ne nos sollicitos teneat , Fernande , futuri.
Hic timor infantes , & leue vulgus agat.
Num qua nec notis Babylon deprendit in astris,
Nec potis aspicere est prouida mens animi ;
Sed sibi seposuit mortalibus inuia curis,
Celat & obscurâ nocte premitq̃ Deus ,
Semiruto residens volucrum fœdissima tecto
Efferet , attonitis fata canens populis ?
Quæ sit an hæc nosti , quibus orta parentibus ales?
Accipe , & in risum verte iocumq̃ metus.
Nympha fuit Stygijs Orphne notissima pratis
(Namque suas Nymphas, prataq̃ Auernus habet)
Furua quidem , toruoq̃ inamabilis ore : sed atrox
Forma decet Stygias , & color ille Deas.

Ergò

AD

Ergò illi tædâ iungi cupiere iugali
 Numina, quæ magni regia Ditis habet :
 Elysiꝝ cupiere Proci. Sed Numina Ditis
 Spreuit, & Elysiꝝ Nympha superba procos.
 Sape Linus vatumq̃, pater Musæus, & Orpheus
 Aggressi duram flectere voce Deam.
 Aggressi frustra Linus, & Musæus, & Orpheus
 Molliri blandâ nescia corda prece.
 Quippe ferox Hecate virgo sacrauerat annos,
 Infernas iaculo figere docta feras.
 Fortè Acheron, incauta suæ dum margine ripæ
 It grauidam multâ cade gerens pharetram,
 Dirarumq̃ striges dirum genus Harpyarum
 Sternit, agens forti spicula certa manu,
 Nempe Acheron securam animi, & nil tale timentem
 Obseruans, cupidis nexibus implicuit.
 Amplexu ex illo concepit Nympha, nouemq̃
 Mensibus exactis edidit Ascalaphum.
 Iamq̃ annis puer addiderat duo lustra duobus,
 Cùm petijt manes acta dolore Ceres :
 Et: Mihi reddite, ait, raptam mihi, Tartara, natam,
 Vnica quæ matris spes, sobolesq̃, suæ est.
 Reddite maternis, Erebi pia numina, votis
 Quæsitum toto pignus in orbe diu.

Munere

Munere terra meo fruges parit. Hæc mihi merces

Redditur, ut sterilis dicar, & orba parens?

Reddite: tuq̄, redi. Quis te, Proserpina, casus,

Vel qui te nobis eripuere doli?

Motus erat Stygius miserandâ voce tyrannus,

Et Cereris iustis annuerat precibus.

Fata sed ad cælum reditus immota negabant,

Guâtasset Stygios si Ioue nata cibos.

Punica nuper eam carpentem ex arbore poma

Vidisse Ascalaphum, nec tacuisse ferunt.

Interdicta via est: sed testem Diua profanum

Supplicio culpe dicitur ulta pari.

Ter caput inuisum deuouit carmine diro:

Corpus Auernali ter madefecit aquâ.

Ilicet Ascalaphus, contractis carmine membris,

Vertitur in plumas, surripiturq̄ sibi.

In rostrum nares, digiti sinuantur in ungues,

Brachiaq̄, in pennas versa abiere leues.

Turpe caput multum, multum caua lumina crescunt,

Vixq̄, potest pigrum tollere corpus humo.

Ille hic est bubo, quem rerum ignara pauet gens;

Tu ride mecum, qui sapis, omen auis.

VWestphaliæ flos, delicia, Fernande, Quiritum,

Tempora cui lauro non pereunte virent:

Es

Et mecum cape plectra manu, iunctisq; canamus
 Carminibus siluas, siluicolaſq; Deos.
 Neu Romæ desiderio moueare relicte.
 Quidquid habet magni Roma, dat Alba tibi.
 Hic Pollinus, honos Graiæ Latiaq; Mineruæ,
 Holsteniusq; Indis notus & Hesperijs.
 Hic Bandinellus Tyrrhenæ gloria muſæ,
 Et Phæbi geminâ Naldius arte valens.
 Et carus Themidi, ac Muſis Raſponus, & unâ
 Vizzanus Sophiâ clarus, & ingenio.
 Hic decus Italiae, & Romani Sfortia vindex
 Nominis, ac ſidus Nerlius, Arne, tuum.
 Roſpilioſus & auguſti pars magna Senatus,
 Virtute egregius conſilioq; Pater.
 Hic & ALEXANDER præſes, tutelaq; rerum,
 Cui Deus ingenium par dedit imperio:
 Et Patruſi diuina legens veſtigia magni
 Spes, & ſeruatæ Flauius Urbis amor;
 Pro quo debet ALEXANDRO res publica, quantum
 Propter ALEXANDRVM debuit illa Deo.
 Ergo ſub hac mecum platano, Fernande, ſolutus
 Carmina iam Latia dic ſocianda lyra.
 Felix qui curis, & iniquo fœnore liber
 Exercet bobus rura paterna ſuis,

Ordine

AV
 Ordine
 Nu
 Inter
 Int
 Irrigu
 Cui
 Non
 Peſ
 Nec m
 Au
 Limin
 Ira
 O mi
 Sor
 O ego
 Et l
 Si qua
 Occ
 Hæc v
 (IA

AVGVSTINI FAVORITI. 111

Ordine nunc equo gaudens disponere vites,

Nunc oleis sobolem substituisse novam.

Interdum iuvat arboribus decerpere poma:

Interdum nemoris fingere falce comam:

Irriguoſq; iugo riuos inducere campis,

Cum pluuiam tellus poſcit hiulca Iouem.

Non illum vigiles curæ, non ſomnia turbant,

Peſtis & humani pectoris ambitio.

Nec metuit fraudes, niſi quas caper improbus vuis,

Aut parat è nimbo grando inimica ſatis.

Limina nec Regum trepidanti poplite calcat,

Irati metuens damna ſupercilij.

O mihi ſi rupes has inter viuere detur!

Sorderet rubri gaza colorq; maris.

O ego dum poſſim tam leni veſcier aurâ,

Et liquidos fontes, & nemora alta ſequi;

Si qua mihi à Latijs ſperatur gloria Muſis,

Occidat, & venti nomen inane ferant.

Hæc ubi luſerimus, nos curis reddat & Vrbi

(Iam ſatis aruorum eſt) præpete currus equo.

AVGVSTINI TAVORITI

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F
F
A
P
C